

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Vaticinia,|| Siue|| Prophetiæ|| Abbatis|| Ioachimi,|| &||  
Anselmi Episcopi|| Marsicani,||**

**Joachim <von Fiore>**

**Venetiis, 1589**

Ioachimi abbatis vita, per Gabrielem [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-241469](#)



# IOACHIMI

## ABBATIS

### VITA,

PER GABRIELEM BARIVM

FRANCISCANVM EDITA.



VIT IOHANNES IOACHIMVS  
Abbas Mauri Tabellionis, & Ge  
mæ filius. Qui non sine futuræ  
Sancitatis portento conceptus  
fuit. Siquidem matri, cum Ioa  
chimum concepisset, iuuenis qui  
dam forma decorus, & lineis can  
didis uestibus amictus per quie  
tem apparuit, eique dixit. Puerum concepisti, quem  
cum parueris, si ipsum uiuere cupis, ante septennium  
baptismatis fonte lauari ne finas. Eo uero nato, patri  
super aram Diui Michaelis Archangeli, quod facel  
lum

rum & Pf  
in Sic  
ium ijs  
ris, &  
transf  
bas e  
ris, f  
bat,  
bus,  
ange  
praf  
ageb  
cui m  
nicis  
fab  
lis.  
fam  
tan  
de  
la ip  
In q  
my  
alio  
tion  
figu  
Pfa  
daff  
Pat

lum non longe à domo suo aberat, puerum aspicere uidebatur, cuius uertex templi tectum tangeret, & chorum astantem albis uestibus induitum alta uoce concinentem, Puer natus est nobis, alleluia, & filius datus est nobis, alleluia. Elapso septennio, cum pater diem baptis̄matis statuisset, mater grauiter ægrotare cœpit, eoque morbo deceſſit. Atq; tribus alijs annis defluxis, decimo anno non sine mysterio puer Bapti zatus est, & usque ad quartumdecimum Grammati cæ operam dedit. Atque non multo post Hierufa lem religionis gratia perrexit, quo in itinerē inopes quosdam suis sumptibus aluit. Et monachalem habi tum albi coloris, & asperum sumpsit. Cumque deserta quædam loca effet ingressus, nimia siti confectus mori veritus fabulo seobruit, ne infepultus feris cibus foret, ac dum scripturarum intelligentiam meditatur, sopore corripitur. Et ecce olei flumen, & iuxta hominem stantem cernere, sibiq. dicentem, bibe de hoc flumine, eiq. ad satietatem bibere videbatur. Cum que euigilasset totius diuinæ scripturæ intelligentia illi patuit. In monte, in quo C H R I S T V S se transfigurauit, in cisterna quadam veteri totam quadragesimam uigilijs, obsecrationibus, ieunijs, Hymnis, & Psalmis vacans tranſegit. Nocte vero Resurrectionis Dominicæ ingens illi claritatis splendor apparuit. Atque ita cœlesti numine afflatus est, ut vtriusq. Testamenti concordiam, omnesq. difficultates, & inuolucra intelligeret. Quare totum se diuinis lectionibus dedit, triaq. opera tum cœpit, concordiam duorum

rum Testamentorum, expositionem in Apocalypsim,  
& Psalterium decem chordarum. Ex Hierosolimis  
in Siciliam concessit, vbi in quodam specu latitans ie-  
conijs, & orationibus vacabat, & die Mercurij, Vene-  
ris, & Saturni nil prorsus gustabat. Postea in Calabriā  
transmisit: & sacris iniciatus Monasterij Coratij Ab-  
bas eligitur. In eius vita nulla erat intercapedo labo-  
ris, semper enim aut orabat, aut legebat, aut scribe-  
bat, sicque pernoctabat assidue. Orabat flexis geni-  
bus, manibus, & oculis in cœlum erectis, vultu alaci  
angelicum præferens uultum, ac si CHRISTVM  
præsentem alloqueretur. Quotidie Altaris sacra per-  
agebat, ac persæpe lachrymabatur. In Monasterio,  
cui nomen est Petralata, totā quadragesimam, Domi-  
nicis diebus exceptis, panem tantum, & aquam gu-  
stabat potius, quam edebat. Claruit multis miracu-  
lis. Scripsit Libros quinque concordiaë utriusque Te-  
stamenti, quos pridem, vt dixi, inchoauit, adhor-  
tante eum Lucio Papa huius nominis Tertio, & in-  
de Urbano, & Clemente iubentibus, vt in Episto-  
la ipsius Clementis ad illum directa videre licet.  
In quibus de quinque sigillis agens eximia, & arcana  
mysteria enodauit: & in quinto nonnulla Danielis, &  
aliorum Prophetarum Capita dilucidauit. Exposi-  
tionem quoque Apocalypsis octo Partium titulis in-  
signitam dictorum Pontificum iussu elucubrauit. Item  
Psalterium decem chordarum tribus Voluminibus  
distinctum exarauit, quorum Primum dedicauit Deo  
Patri, Secundum Filio, Tertium Spirituis sancto.

c 2 Quod

Quod opus die Penthecostes , vt ipse dicit , inchoauit , scriptis & in Euangelium Iohannis , & contra Iudeos , & super Merlinum , & in Cirilli reuelationem , & Librum de Flore nuncupatum de Summis Pontificibus , & Librum de Consolatione , & Sententiarum volumen egregium , & in Erithream . Item Henrici Sexti Cæfaris rogatu anno à C H R I S T O nato M. c lxxxvii. ad eundem , vt ipsem super Hieremiā refert , & in nonnulla Capita Nahum , Abacuch , Zachariæ , & Malachia Prophetarum . Scriptis , & in Hieremiam , in quibus eum spiritum Prophetiæ habuisse manifestum est . Pleraque enim est vaticinatus , quorum multa adimpta sunt , cætera adimplenda supersunt . Nam & Græciam ob perfidiam in Romanam Ecclesiam gentibus dandam , & Prædicatorem , ac Minorum Ordinis initiaores mox futuros , quinetiam in Ianuis Ecclesiæ prædictis . Et quidem cum hæc præfiguit , ipsis in mundo erant , sed qui futuri essent , ignoti , Ordines autem initiarū paucis post annis , quām ille prædixerat , vtpotè Diuus Dominicus tribus , Diuus Franciscus nouem . Quos vel Venetijs in Diuī Marci delubro , quod Salomonis Templi instar fieri curauit , effigi fecit . In cuius pauimento , parietibusque , ac fornicibus , testudinibusq; simulacra alia pleraque effigiata emblemata , vermiculatoque opere futura protendentia , quæ in dies exitus comprobat , formari , atque effigi fecit . Efflavit animam in Monasterij Floris loco , qui Canalis dicitur , Cœnobitis suis benedicens . Eius corpus postea in

in Monasterium Florense translatum est. Ex Cœnobitis eius, qui ipso viuente sanctitate floruerunt, hi sunt, Peregrinus, & eius frater Bonatus, quibus futuram, & proximam tribulationem reuelauit. Lucas eius scriba, qui postea Episcopus Consentinus fuit, Gerardus Abbas, Iohannes, & Nicolaus, quorum alter Abbas Monasterij Coratij fuit, alter istius vices gerebat: item Matthæus, qui post Ioachimum Abbas Floriacensis fuit, & postea Tarentinus Episcopus, Rogerius Diaconus Ecclesiæ Seuerinatis, Petrus, & Nicolaus, Qui omnes sanctæ vitæ viri extiterunt. De Abate autem ipso Ioachimo Guilielmus Parisiensis in Libro de Virtutibus sic dicit. Debes scire, quia donum intellectus tantæ claritatis est, & acuminis in quibusdam, ut valde assimiletur spiritui Prophetiæ, qualem crediderunt nonnulli fuisse in Abate Ioachimo. Et ipsemet de seipso dixisse dicitur, quia non erat ei datus spiritus Prophetiæ, sed spiritus intelligentiæ. Si quis autem inspicerit Libros eius, quos scripsit super Apocalypsim, & super concordiam duorum Testamentorum, mirabitur donum intellectus in eo, verum in Libris super Prophetas liquet fuisse in eo spiritum Prophetiæ. Licet quidam diuinarum litterarum ignari negent ipsum fuisse Prophetam, quod CHRISTVS Apostolis dixerit. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, & alibi, omnes Prophetæ, & lex usque ad Iohannem prophetauerunt. Quod utique de primo CHRISTI Aduentu intelligendum est. Ut Hieronymus in Matt. & in Amos, Iohann. Chrysost. & Athan. in secun-

secundam Epist. Pauli ad Cor. & August. contra Fau-  
stum asserunt. Iam vero in Ecclesia , quæ erat Antio-  
chiae, Prophetas fuisse Lucas in Actibus Apostolorum  
scribit. Et Agabus, & quatuor Philippi filiae, & Corin-  
thi, & Apostoli ipsi prophetauerunt , vt passim in Epi-  
stolis Pauli videre licet . Et Iustinus Philosophus , &  
Martyr apud Eusebium Ecclesiasticae Historiae Libro  
Quarto , usque ad tempora sua Prophetæ gratiam in  
Ecclesijs floruisse ait . Quid multis opus est verbis?  
Cum Ioel, Apostolos, aliosque in Ecclesia prophetan-  
turos prædixerit, vt Petrus in Actibus Apostolorum  
dicit, & C H R I S T V S , se ad Iudeos , inter cæteros ,  
Prophetas etiam missurum, ab ipsis in Synagogis suis  
occidendos, dicit . Nam , ait Amos , non faciet Do-  
minus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum  
ad seruos suos Prophetas . Cur autem Deus secreta  
sua seruis suis reuelat, & quare non necesse est omnia  
fieri , quæ dicit, qui scire cupit, legat Hieronymum in  
Ionam, & in Ezechielem. Alij quidam Ioachimum vti  
Hæreticum calumniantur , quod Innocentius Tertius  
libellum quendam Ioachimi nomine, hoc est, iniustum  
aduersus Petrum Lombardum reprehensionem in  
Concilio damnarit . Cum ipse, in Epistola, quam pro-  
pria manu exarauit, firmiter, & humiliter fatetur se  
eam fidem tenere , quam Romana tenet ecclesia, iu-  
betque cumcta sua opera composita, & componenda  
summo Pontifici assignari, que ipsem morte fortasse  
præuentus offerre non valuerat, Apostolicæ Sedis iu-  
dicio approbanda, & corrigenda . Id ipsum Innocen-  
tius

3  
tius ipse in Decretali illas asserit. Exstat in Bibliotheca  
Vaticana Epistola Honorij Tertij Rom. Pont. ad Epis-  
copum Lucan. in fauorem Ioachimi aduersus eius ob-  
trectatores, quæ hæc est. Ad audientiā nostram noueri-  
tis peruenisse, quòd cum Abbatem, & Monachos Or-  
dinis Floris de crimine hæreticæ prauitatis infamas,  
& à tuis permittis subditis infamari sumens occasio-  
nem ex eo, quòd felicis memoriae Innocentius Papa  
prædecessor noster libellum, siue Tractatum, quem Ab-  
bas Ioachimus eiusdem Ordinis institutor edidit con-  
tra Magistrum Petrum Lombardum de vnitate, seu es-  
sentia Trinitatis generali approbante Concilio dam-  
nauit. Cum igitur idem prædecessor noster in senten-  
tiā prædictæ damnationis expresserit, quòd per hoc  
Florensi Monasterio nolebat aliquatenus derogari  
quoniam, & in eo & regularis est institutio, & obser-  
uantia singularis, idemque Ioachimus omnia scripta  
sua ipsi prædecessori nostro assignari mandaret Apo-  
stolicæ Sedis approbanda iudicio, vel etiam corrigen-  
da, dictans Epistolam, cui propria manus subscripta, in  
qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Ro-  
mana tenet Ecclesia, quę disponēte Deo mater est cun-  
ctorum fidelium, & magistra. Fraternitati tuę per Apo-  
stolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus  
Fratres Ordinis supradicti super hærefeos crimine nec  
ipse infamare pr̄sumas, nec à subditis tuis permittas,  
seu aliquatenus dissimulas infamari. Datum Romę  
apud Sanctum Petrum iiiij. nonas Decembris, Ponti-  
ficatus nostri Anno primo.